

.lxvii. OMELIA IN NATALE SANCTI ANDREAE APOSTOLI .

Ecce adest dies honorabilis sancti andree apostoli uiriliter
agite fratres karissimi . sectando precepta saluatoris . Mox enim
ut uocem domini predicantis audiuit . relictis omnibus secutus est . redemp-
torem sicut in euangelio scriptum est . Dum perambularet dominus
iuxta mare galilee . uidit duos fratres petrum et andream mitten-
tes retia in mare . erant enim piscatores . et uocauit eos dicens .
Uenite post me faciam uos fieri piscatores hominum . At illi
continuo relictis retibus et naue . secuti sunt eum . [.ii.] Non solum
autem pedibus sed etiam exemplis . quia post passionem domini in
diuersis partibus mundi exierunt . predicantes euangelium
christi . et sermones domino cooperante affirmantes . signis et uirtu-
tibus . Petrus enim et paulus in roma ; andreas in scithia et in
achia . alii autem caeteras orbis tenuerunt partes . Cumque sanctus
andreas in illis regionibus predicaret . pro consul egeas deuenit
in patras ciuitatem . cogitans eos qui per sanctum andream credide-
rant christo compellere . ad sacrificia idolorum . cui sanctus andreas
occurrans pro eis dixit . Oportebat te egeas ut et tu qui iu-
dex es hominum . iudicem deum cognosceres et agnitum co-
-leres . et animum ab idolis reuocares . [.iij.] Cui egeas dixit . Tu es
andreas qui destruis templa deorum? Andreas respondit .
Ista idola non solum sunt dii sed doemonia pessima huma-
/139r/ -no generi inimica . que hoc homines doceant ut offendatur
deus . et dum offensus fuerit auertatur et non exaudierit . et te
neant eos diaboli captiuos . Egeas dixit . Superstitiosa sunt uer-
ba tua . Nam iesus uester dum haec predicaret . Iudei crucifixerunt
eum . Andreas respondit . Si uelles scire hoc patibulum
crucis quod non inuitus sed sponte suscepisset . dixisset tibi .
Egeas dixit . cum traditus asseratur a suo discipulo . quomodo tu dicis

sponte subisse patibulum? Andreas respondit . Ideo dico . spontaneum quoniam antequam pateretur in manus gentium dixit nobis . quod crucifigendus esset . pro salute hominum et die tertia resurrecturus . Et iterum dixisse nobis . potestatem habeo ponendi animam meam . et iterum sumendi eam . [.iii.] Egéas dixit . uellet . nollet . cruci tamen confiteris affixum esse . Andreas respondit . Magnum est mysterium crucis . et si uoueris audire retexam . Egeas dixit . Ego quidem patienter audiam . sed tu si me non audias . ipsum crucis misterium inte excipies . Andreas respondit . Ego si patibulum crucis expauescerem . crucis gloriam non prædicarem . Egeas dixit . insanus est sermo tuus . ista uerba illis narrare potes qui tibi credunt . Michi autem nisi hoc consentias ut sacrificium diis omnipotentibus offeras . ad ipsam crucem quam laudas te affigi præpiciam . Andreas respondit . Omnipotenti deo omni die sacrifico . tunc iratus egeas iussit eum in carcerem trudi . Dumque ibi esset . clausus . uenit ad eum multitudo pene totius prouincię . Ita ut egeam uellent occidere . et andream apostolum fractis ianuis liberare . quos sanctus andreas his uerbis ammonuit dicens . Nolite hoc prohibere . Dominus enim exemplum patientię prebuit nobis . quia non contendit nec clamauit sed etiam orauit pro iudęis dicens . [.v.] Pater ignosce /139v/ eis . nesciunt enim quid faciunt . Et ideo nolite martyrium impetire . sed etiam uosmetipsos quasi athletas christi præparate . ut uincatis minas intrepido animo . et plagas per tolerantiam superetis hominum . Quia si terror timendus est . ille est . magis metuendus qui finem non habet . Nam humanus timor fuma¹ similis est . et cito cum excitatus fuerit euanescit . Et si dolores timendi sunt ; illi enim dolores leues sunt et tolleri possunt . et si graues sunt cito animam eiciunt . Illi autem dolores aeterni sunt ubi est cotidianus fletus et stridor

¹ fuma] *corr. from* fumu

dentium sine fine . Ad quos egeas non timet peruenire .
[.vi.] Estote ergo magis parati adhuc ut per tribulationes tempo
rales ad aeterna gaudia perueniatis . Vbi semper letemini .
semperque splendeatis . semperque cum christo regnetis . Haec et
his similia . sanctus andreas per totam noctem edocebat populos .
Mane autem autem misit egeas adduci eum ad se dicens ei . Estima
ui te nocturna cogitatione reuocare animum ab stultitia
et a christi tui laude cessare . ut posses nobiscum non ammitte
re gaudia uitę . Stultum est enim uelle ad passionem ire
et ignibus te ipsum destinare . Andreas respondit . Gau
dia tecum habere potero si credideris christo . Christus enim
memisit ad istam prouinciam . in qua non paruum populum
domino adquisiui . [.vij.] Egeas dixit . Ideo te sacrificare compello .
ut qui per te decepti sunt populi . relinquunt uanitatem tuę
doctrinę . Nulla enim remansit in achia ciuitas . in qua
non templa deorum sint destructa . Si autem non feceris diuer
sa patieris supplicia . Et postea in cruce deficies . An
dreas respondit . Nunc usque mitius locutus sum tecum
filius mortis . ut rationis capax . ueritatis defensor
/140r/ effectus idola contemneres . et deum qui in celis est adorares sed
ne putes minas tuas formidare quicquid tibi in suppliciis
uidetur esse maius excogita . Tanto enim regi meo ero accep
tior . quanto pro eius nomine patiar tormenta . [.viii.] Tunc in
dignatus egeas eum affigi cruci precepit mandans hoc
questionarum ut ligatis pedibus ac manibus tenderetur .
Ne clauis affixus cito deficeret . sed cruciaretur longo cru
ciatu . Cumque eum carnifices ducerent ad crucem con
cursus factus est populorum clamantium ac dicentium . iustus
homo et amicus dei quid fecit ut ducatur ad crucem?
Andreas uero rogabat populum . ut non impedirent pas
sionem . Cumque peruenisset ad locum crucis uidens eam a lon

ge exclamauit uoce magna dicens . salue crux quae
in corpore christi dedicata es et ex membris eius tamquam
margaretis ornata . Ego gaudens uenio ad te . et tu
exultans suscipe discipulum eius qui pependit in te
quia amator tuus semper fui . et desiderauit amplecti
te . O bona crux accipe me ab omnibus et redde me
magistro meo . ut per te me recipiat . qui per te redemit
me . Et hæc dicens expoliavit se uestimentis suis et tra-
didit carnificibus . qui statim accedentes leuauerunt eum
in crucem . Asstantes autem turbae erant numero
uiginti milia hominum . inter quos erat frater egeae nomi-
ne stratocles . et crediderunt simul iesu christo per sancti andree
predicationem et ueniunt certatim ad domum egeae dicen-
tes . Virum sanctum . bonum doctorem . pium modestum . non debere
hoc pati sed deponi de cruce . Tunc egeas pauescens
populum . promittens eum deponi simul coepit irae . Quem
/140v/ ut uidit andreas dixit . Quid ad nos egeas uenisti? si uis credere
christo sicut promisit aperitur tibi uia indulgentiae . Si autem
uenisti ad hoc tantum ut me soluas . ego de ista cruce uiuens
in corpore deponi non potero . Iam enim regem meum ui-
deo . iam adoro . Iam in conspectu eius consisto . sed tuis mise-
rus magis doleo . quia paratus te expectat aeternus interitus .
Curre ergo dum potes ne tu nunc incipias uelle cum non pote-
ris . Tunc autem ingerebant se carnifices ut soluerent eum .
sed nullus potuit contingere eum . Stupebant autem omnes
dicentes . Uere homo dei erat iste . Tunc sanctus andreas uoce
magna dixit . Domine iesu christe non permittes de ista cruce
me deponi antequam suscipias spiritum meum . et cum hæc
dixisset uidentibus cunctis splendor lucis de caelo ueni-
entis circumdedit eum . ut poenitus oculi eorum non possent
aspicere in eum . Permansit autem dimedio horæ spatio .

et sanctus andreas cum ipso splendore emisit spiritum pergens
ad dominum . qui uiuit et regnat in secula seculorum . Egeas uero
arreptus a daemonio . antequam ueniret ad domum coram
omnibus a doemone in uia uexatus expirauit . Frater autem
eius tenuit corpus sancti andreae supplicans eum . et sic euasit
poenas . et tantus timor irruiit super omnes . ut nullus reman
sit qui non crederet saluatori nostro iesu christo . Qui uul omnes
homines saluos fieri et ad agnitionem ueritatis ueni
re . Cui est honor et imperium et potestas una cum patre et spiritu
sancto . per infinita secula seculorum . ameN .